



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Tres alij modi explicandi, & defendendi priorem opinionem. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

borari à superiori non sola obiecti manifestatio-
ne, sed etiam virtute aliqua superioris agente in in-
feriorem, in quem sensum intellexerunt S. Tho.
Ægidius antiquus S. Tho. discipulus & auditor, &
alii Scholastici ex supra allegatis. Fateor ingenue
interpretationi Caiet. plurimum favere eundem
S. Tho. q. 9. de veritate art. 1. in solut. 2. & in corpore artic.
Ibi enim plane docet, corroborari intellectum
Angeli illuminati ex eo solum, quod inspicit ali-
quod cognitum in angelo superiori ad alia etiam cog-
noscenda. Ibidem etiam affirmat, inter homines
corroborari intellectum discipuli & lumen illius
ex eo, quod recipiat à magistro principium ali-
quod, ex eo quo aliqua cognoscere possit. Quo-
circa iuxta sensum Caietan. interpretari possemus
mentem Sancti Thomæ ita, ut corroborari intel-
lectum Angeli inferioris à superiori nihil aliud
esset, quam aliquam veritatem ab illo recipere:
mihi tamen difficile est id, quod ipse Sanctus Do-
ctor docet in hac parte quæst. 17. art. 1. assignans
discrimen inter hominem, qui docetur ab alio, &
Angelum qui à superiori illuminatur, sicut supra
ex ipso retulimus. Porro nullam esse differentiam
inter illuminationem, qua vnus Angelus ab alio
illuminatur, & qua vnus homo ab alio docetur, in-
fra ostendemus.

CAPVT IV.

Tres alij modi explicandi, & defendendi.
prioris opinionem.

¹⁶ *Primus mo-
dus Capr.* PRÆTER modum superiori c. expositum, quem
probat Capreolus in 2. dist. 11. q. 1. art. 3. ad 1.
Durand. contra secundam conclus. alio etiam modo
idem Capreol. definit prioris opinionem, ait ergo,
corroborari intellectum Angeli, qui illuminatur
ab Angelo superiori, eo quod superiori influit
lumine suo in inferiorem virtutem quandam quam
ipse appellat intentionalem, eo modo quo intel-
lectus agens influit in phantasmata, comparat au-
tem hanc virtutem intentionalem speciebus co-
lorum in medio & virtuti agentis principalis in
instrumento, qua instrumentum quodammodo
roborari, dicitur.

¹⁷ *Impugnatur.* Verum hic modus philosophandi, licet magis
consonet menti S. Thomæ, dum a quem pecu-
liarem influxum concedit in intellectu Angeli in-
ferioris, qui illuminatur, quem non concedit in-
tellectu hominis, qui ab alio docetur: mihi tamen
non probatur. Nam aut virtus illa derivata à su-
periori Angelo in inferiorem, inhaeret intellectui
Angeli inferioris, sicut species coloris reueta in-
haeret medio: & hæc nulla alia esse potest, quam
species aliqua: quare illuminatio fieret per im-
pressionem speciei intellectu Angeli inferioris,
sicut alij cap. 1. commemorati dicebant: quod su-
pra impugnauimus disp. 10. cap. 5. Aut virtus illa
derivata in Angelum inferiorem, est solum assi-
stentia Angeli illuminantis, sicut agens principale
assistit instrumento, & dicitur illud corroborare,
aut lenare: hæc autem nihil aliud esse potest,
quam ipsa propositio veritatis quam superior
Angelus tanquam magister manifestat nisi forsan
quis dicat, Angelum superiorem assistere veluti
agens principale inferiori, aut esse veluti instru-
mentum ad eandem intellectionem, quod est ab-
surdum: ergo incidere debet Capreolus in sen-
tentiam Caietani. quam prius impugnauerat, ut
perinde se habeat Angelus superior respectu in-

ferioris, sicut se habet inter homines magister
cum discipulo: cum tamen ipse aliquid amplius
concedat Angelo illuminanti, quam cooperatori
homini docenti: existimare enim videtur Capre-
olus illud intentionale derivatum ab Angelo illu-
minante in Angelum inferiorem illuminationem
esse qualitatem aliquam per modum transmissi-
onis, sicut ipse etiam putat in sacramenta derivari, quan-
do assumuntur ut instrumenta gratiæ, & in cerne-
instrumentum eodem modo, quam commentum
esse ostendi supra disp. 176. cap. 3.

Denique Heruæus tribus modis explicat in-
tentionem, qua vnus Angelus ab alio illuminatur,
quibus in hoc capite duos tantum referemus.
Primus modus est per intentionem luminis natu-
ralis ipsius Angeli, qui illuminatur, quem co-
mum rationibus Durandi cap. 1. huius disputatio-
nis, primum quali Angeli, qui alio
illuminatur, posset lumen naturale intellectus illius
augere: posset etiam omnino producere quod est
absurdum. Respondet tamen Heruæus, posse co-
tingere, ut aliquid agens augeat formam aliquam
iam productam, quam non potest à principio pro-
ducere: nam aliquid agens per rarefactionem po-
test efficere maiorem quantitatem quam non po-
test à principio producere. Respondit tamen si-
uola est, quia non est eadem ratio producende
quantitatis à principio, & augende: postquam pro-
ducta est: augeri enim potest sine noua productio-
ne substantiæ, sed à principio produci nequit sine
substantia, etiam nouiter producta: ut productio
qualitatis, & intentio illius non postulat nouam
substantiæ productionem: ideo agens, quod po-
test qualitatem augere, poterit de nouo tam pro-
ducere.

Deinde obijciebat Durandus, Si lumen intel-
lectus Angeli, qui illuminatur, fieret maius ali-
mine intellectus Angeli illuminantis, sequeretur
intellectum vnus Angeli esse eiusdem rationis
quia vna forma non intenditur ab alia, nisi eiu-
dem rationis: atqui intellectus Angeli inferioris
qui illuminatur, & superioris, qui illuminat, non
potest esse eiusdem rationis: quia specie differunt:
ergo nec intellectus vnus ab intellectu alterius
potest fieri intensior. Respondet autem Heruæus,
ex eo quod intellectus Angeli inferioris intensior
reddatur ab intellectu superioris, non recte col-
ligi, intellectum vnus, & alterius esse eiusdem ra-
tionis: nam licet vna forma non possit fieri inten-
sior ab alia formaliter, nisi sit eiusdem rationis
cum illa, tamen bene potest fieri: ut vna forma ab
alia alterius rationis reddatur intensior, non for-
maliter, sed efficienter. Hac solutione optime so-
luta facit Heruæus difficultati, nihilominus eius co-
pinio mihi non probatur, quia cum intellectus sit
propria passio spiritualis creaturae, commentum
est, asserere, vno aut alio modo reddi intensiorem
ab alia forma, siue eiusdem rationis, siue diuerse,
quandoquidem propria passio alienius nature
non suspicit magis & minus. Secundo idem Heruæus
alia ratione explicat modum, quo vnus Angelus
alium illuminat, videlicet quia vnus Angelus cum
alio concutrit ad eliciendam cognitionem, quæ se
reuelat occulta. Hunc etiam modum impugnatur
Durand. in 2. dist. 11. q. 1. art. 3. ratione à nobis alia c.
1. huius disputatio. quia cum intelligere sit actio im-
manens, manere debet in principio operante: &
proinde principium intellectionis, quæ est in vno
Angelo

Angelo, nequit esse in alio: ut autem hæc ratio alius cuius momenti sit, supponere debet, Angelum superiorem, qui illuminat inferiores, esse proximum & proprium principium intellectus, quam inferior in seipso recipit, & per quam illuminatur: alioqui non repugnaret, quo minus principium commune, qualis est Deus, esset extrinsecum intellectui, & intellectus in eo non reciperetur. Ceterum neque hoc modo defendi potest prædicta sententia, tum quia vnus Angelus non potest aliquid imprimere intellectui alterius, vt cap. 1. dictum est, tum etiam, quia non videtur, quo pacto possit concurrere intellectus vnus Angeli cum intellectu alterius sicut causa partialis, aut ei aliquo modo subiecta: alter enim illorum videtur superuacaneus ad eandem operationem. Hæc est prior sententia, quam varijs modis explicata placuit referre, & impugnare, vt omnino probatum maneat, illuminationem non fieri per internam aliquam mutationem in Angelo, qui illuminatur.

Mitto vero modum dicendi Henrici quodlib. 5. qu. 15. art. 3. qui præcedentem sententiam hoc modo explicat, vt illuminatio fiat per aliquam dispositionem, qua vnus Angelus ab alio disponitur ad recipiendam notitiam eorum, quæ reuelat, hic enim opinandi modus ex dictis facile potest refelli.

CAPVT V.

Vnum Angelum ab alio illuminari sola externe propositione probabilior opinio fert.

Mihi vero semper placuit eorum sententia, qui dicunt, vnum Angelum illuminare per extremam solum propositionem (sicut inter homines magister dicitur illuminare discipulum) absque eo, quod aliquid imprimatur Angelo illuminato, vt prior sententia dicebat. Huius opinionis fuerunt Alex. 1. p. quest. 38. memb. 3. Bonau. in 2. d. 10. art. 1. quest. 2. Aegidius dist. 9. q. 1. art. 5. Thom. de arg. q. 1. art. 3. Marfil. in 2. quest. 7. ar. 4. concl. 2. & in solut. argumentorum, demum Caiet. in quest. 106. art. 1. adde etiam S. Thom. si velimus ipsum interpretari, sicut Caiet. intellexit. Ceterum, vt hanc sententiam explicemus, & confirmemus, notandum est, illuminationem non esse idem, quod manifestare quancunque veritatem: ac proinde non omnem locutionem, sed eam solum, qua explicatur veritas, quæ est perfectio intellectus secunda, hoc est, cuius notitia dicitur perfici intellectus audientis tales sunt veritates mysteriorum, & futurorum, quæ ex sola Dei voluntate pendunt, etiam si naturalis ordinis sint, vt quod Deus sit puniturus aliquem, vel aliquid huiusmodi facturus: hæc definitionem illuminationis probant Doctores etiam prioris sententiæ, Scotus, Bassulus, & Ocam, & ab Ricard. Heru. Tho. de arg. loci citatis, Aegidius art. illo 5. dist. 4. At S. Thom. inf. q. 109. art. 3. docet, illuminare, non esse idem, quod manifestare quancunque veritatem, sed eam solum, quæ ad Deum ducit. Vtrum autem sit tantum rerum supernaturalium, an vero etiam rerum naturalium ad Deum pertinentium, non definit. Quocirca quamuis inferior Angelus reuelat secreta cordis sui Angelo superiori, non dicitur ipsum illuminare, vt recte admonet Ricard. loco cit. ad secundum, sed solum loqui cum illo: quemadmodum si discipulus cum magistro suo loquatur, explicetque illi secreta cordis sui, non dicitur ipsum illuminare, sed cum eo loqui. Est igitur

Passquez in 1. p. tom. 2.

illuminatio explicatio veritatis, quæ perfectiorem reddit intellectum audientis: nam cognoscere secreta cordis alterius non perficit intellectum audientis, quasi magnam quid sit, illa cognoscere: ex eodem cap. sequitur, illuminationem non contingere circa res & euentus naturales: quia cum quisque Angelus proprio conceptu eas intueatur, non dicitur ab alio Angelo, etiam superiori, illuminari, vel circa illas illustrari.

Hæc sententia sic explicata confirmatur in primis testimonijs Patrum. Primum August. in Psalm. 118. con. 18. circa finem cum docuisset à Deo dari nobis intellectum, inquit, Sed si ad hoc ministro vultur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat: sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi (vt ita dicamus) intellectum dare hominem, quemadmodum quisque dicitur lucem dare domui, vel domum illuminare, cui fenestram facit. Et infra, Deus autem & mentem hominis rationalem atque intellectualem fecit, qua possit capere lumen eius, & Angelum talem fecit, qui operari posset, aliquid, vnde ad capiendum lumen Dei mens adiungetur humana. Hæc August. ex quibus colligere licet, hominem ab Angelo ita illuminari, vt nihil omnino in mentem illius Angelus operatur, aut aliquo modo ipsam immutat: sed exterius explicet veritatem, quasi exteriori solum munere magistri, inquit enim Augustinus, Angelum, vt illuminet hominem, non alio modo operari, quam illum, qui aperit fenestram, vt domus lumen recipiat corporeum, hic autem nihil operatur interius in domo, nec lumen producit: sed aperit viam, & externa aufert impedimenta: ergo & Angelus hoc solum modo hominem illuminat, vt in hominis intellectum nihil operetur, sed sola extrinseca doctrina illuminaet: ac proinde multo maiori ratione in angelicum intellectum nihil operabitur, sed, vt Doctor proponens exterius veritatem, ipsum illuminabit, & tanquam discipulum docebit.

Est deinde testimonium Cyrilli. Alexandr. lib. 1. in Ioan. cap. 9. vbi à principio quaerit, quomodo verum sit illuminari à Deo omnem hominem venientem in hunc mundum: quandoquidem vnus Angelus ab alio illuminatur: vnum autem Angelum ab alio illuminari, probat multis testimonijs, quale est illud Zachariae 2. vbi vnus Angelus ad alium dixit, Curte & loquere ad puerum. Deinde augeat difficultatem, quia homines ab Angelis illuminantur: nam Actor. 10. Cornelius ab Angelo didicit. Postremo, quia vnus homo alium etiam illuminat, namque Actor. 8. Eunuchus didicit à Philippo, & Matth. 10. hac de causa dicuntur Apostoli lux mundi. Cum ergo hæc ita sint, quomodo verum est, omnem hominem à Deo illuminari? Respondet autem Cyrillus his verbis, Sic igitur etiam lucem esse Sanctos fatemur, & illud addidimus, quod rationalis creatura omni illuminata illuminat, traditioneque à mente sua in mentem alterius doctrinam infundit, quandoquidem illuminationem discendi vim potius, quam reuelationem nominamus. Dei autem verbum omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, non docendo, vt homines, aut forsitan Angeli, sed potius creando vt Deus vnicuique semen sapientie, id est pietatis atque intelligendi radices, inserit. Hæc Cyrill. quibus nostram sententiam disertis verbis expressisse videtur, nisi quod addens particulam, forsitan, videtur aliquo modo dubitare; an

Bbb 3

Angeli